



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 59. Ejusdem Myst. punct. 3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](#)

*Deum suum laudet, ac revereatur, eique serviens tandem salvus fiat.*

**PUNCTUM III. OPERA.** MEM. Christus dixit: *vidēant opera vestra bona, & glorificant Patrem vestrum, &c.* Matth. 5.

**INTEL** Non solum aliis talentis, veluti docendi, prædicandi &c. vult nos uti rectè: Sed disertè opera nostra vult esse talia, ut per ea homines glorificant Deum, ea videntes. **REFL.** Examinemus opera nostra, an sint talia.

**VOL.** Agnoscamus coram Deo culpam nostram, quod sàpè opera nostra proximo exhibuerimus, potius ut nos ipsi glorificemur. Dicamus toto corde: *non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Ps. 113. *Ad majorem Dei gloriam.*

**COLLOQ.** Quibus petatur gratia rectæ intentionis, juxta Reg. 17. Summ. RECOLLECTIO.

## MEDITATIO LIX.

*De Sermone Christi, habito in monte.*

Matth. 5.

Myst. punct. 3.

**CONG.** Idem desiderium cognoscendi clarissimam doctrinam Christi.

**PRÆL. I.** Quomodo Christus docuerit implenda præcepta, & diligendos inimicos.

**PRÆL. II.** Mente redire ad montem, in quo Christus docebat.

PRÆL.

PRÆL.. III. Petere gratiam , implendi præcepta,  
& diligendi proximos, etiam inimicos.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Scholas , & Academias , quæ tunc erant in Orbe nominatum inter Gentiles , Romæ, in Græciâ & alibi : deinde oculos reflectamus ad montem, in quo Christus sedebat docens.

INTEL. Comparemus Scholas mundanas cum Scholâ Christi. In Scholâ Christi , & Magister & Discipuli, contrarii erant mundi sapientibus : Nam Christus est ipsa Dei sapientia : quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes : & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia : & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret. 1. Cor. 1. tales erant in Scholâ Christi Discipuli, stulti apud mundum, infirmi, ignobiles, contemptibles, ac si non essent. REFL. Nos cogitemus, an Schola Christi præ aliis eligenda non sit.

VOL. Conjungamus nos discipulis in Scholâ Christi ; simus cum illis , & cum Christo stulti apud mundum, & contemptibles ; & sequamur monitionem Apostoli 1. Cor. 3. Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo , stultus fiat , ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus doctrinam Christi ; ac primò quidem verba illa: diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentiibus, & calumniantibus vos. Matth. 5.

INTEL. Hoc videlicet stultum apparebat sapientibus hujus saeculi; sed latet summa Dei sapientia, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos. ibid. REFL. Si statuerimus jungere nos Discipulis in schola Christi, se quamur hanc doctrinam necesse est.

VOL. Amplectamur toto animo hanc doctrinam, optemus occasiones beneficiendi eis, qui oderunt nos: tunc cum fiducia dicamus: *dimit nobis debita nostra, sicut, & nos dimitimus debitoribus nostris.*

**P**UNCTUM. III. OPERA. MEM. Cogitemus. quomodo Christus non tantum docuerit; sed opere etiam legem impleverit. *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Matth. 5.

INTEL. Ratiocinemur id verum esse. Nam praeceptum legis: *Non occides.* Exod. 20. extendit ad iram in fratres. *Non mœchaberis,* ibid. ad concupiscentiam. *Non perjurabis.* ibid. extendit ad alia juramenta, & sic de aliis: semperque opere ipso doctrinam suam implevit REFL. Cogitemus, quod facile nobis futurum sit Christum in his sequi, si tres illos virtutis gradus, quos in Meditatione de 2. vexillis, nos docuit, benè affectuti fuerimus.

VOL. Renovemus affectus pridem conceptos erga tres illos virtutis gradus, atque ita extendamus nos ad singula, quæ Christus in hoc sermone docuit adimplenda.

COLLOQ. De. 2. vexillis.  
RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDI-